



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLIX. Ioannis Papae VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CCLVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD ADELBERTVM MARCHIONEM.

Ab excommunicatione eum absoluit, eiusque homines,  
si spatio quindecim dierum intra mensem  
Martium ecclesiæ satisfecerint.

*Adelberto marchioni.*

**T**E vero quia conuersum & fidelem circa sanctam Romanam ecclesiam & nos cognouimus, absque tenore ab omni excommunicatione absoluimus; hominibus tuis sub eo tenore sacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, sicut promissum est, facere ad quindecim dies intra mensem Martium omnino accelerent. Quod si hoc facere neglexerint, omnes sub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant satisfactionem. Data ut supra, indictione XIV.

## EPISTOLA CCLIX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

*Monet ut perficiat quæ per legatos mandauit.*

**S**VSCEPTIS literis gloriæ vestræ, quibus vos plena intentione monstratis ad limina apostolorum festine, imo potius præcipiti gressu & velle conuolare; quapropter attoniti, vel magis stupefacti miramur decentiam vestram terminos patrum transcendere, & lineam generis vestri superbo spiritu conculcare, & in deterius, non in melius prorsus conuenire. Et ecce dolenter cum Apostolo 2. Tim. 3. compellor dicere: *In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, in quibus erunt homines semetipsos amantes, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Sed nos te, fili carissime, in viscere Christi plurimum diligentes, ad ea te pro-uocare gestimus, quæ animæ vestræ proficiant ad salutem. Legatos sane e latere nostro plene instructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his, quæ verbo tenus, & scriptis capitulariter dedimus in mandatis.

Qua de re paterno affectu monemus, vt omnia, sicut vobis direximus, per eosdem legatos adimplere omnino curetis. Ideoque scitote, quoniam si pleno iure cuncta quæ destinauimus non adimpleueritis; nos enim uero quantum in nobis est, zelo Dei succensi ea quæ ad honorem sanctæ Romanæ ecclesiæ pertinent exaggerare penitus satagemus. a quibus nos nulla ferocitas, nulla malorum hominum comminatio, donec spiritus reget artus, poterit sequestrare. Quod iussionem nostri pontificii ingenti præsumptione absurdam posuisti, omnimodis temetipsum proprio iaculo reuerberasti, & velut aspis furda salutis tuæ congruentibus aurem non accommodasti. Sed quid plura? iterum atque iterum inhibendo apostolica auctoritate præcipimus, terminum sancti Petri ad ingrediendum animum vestrum non incitetis: quousque prædicti legati nostri ad nos reuertantur, omnia nobis renuntiaturi, itemque alios ad nos transmittere cures. Data octauo Kalendas Februarii, indictione XIV.

EPISTOLA CCLX.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD ANSPERTVM MEDIOLANENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

Confirmat Iosephi episcopi Astensis ordinationem, qui alias contra Canones Vercellensis ecclesiæ fuerat episcopus constitutus.

*Ansperto Mediolanensi archiepiscopo.*

CONSULTATIONIS tuæ qua nos super Ioseph, nuper in Vercellensi ecclesia ordinati, noua nunc electione, vel ordinatione in ecclesia Astensi, consulere voluisti, perspectis suggestionibus, quibus super hoc nostræ auctoritatis consultum requiris, canonicum iudicauimus, & nostris tibi decretis contuenter, propitia diuinitate, respondimus. Fuerat autem de illo primum, vt ipse mecum aduertis, quoddam irregulariter institutum: sed nos apud beatum Petrum apostolum cum sancta Synodo residentes, salubri potiti consilio, & animositate illius correximus, & misericordiæ fomenta, gratia sancti Spiritus reue-